

Johannes Butherus

**GENETHLIA || IN || LAVDEM PVERI IESV,|| DOMINI ET REDEMTO-||ris nostri, ex
Maria virgine castis-||sima nati;|| Scripta à || IOHANNE BVTHERO VVISMAR.|| Ad
... || D. CASPARVM VVILDIVM,|| Patricium et Senatorem inclytae Reipub.||
Lubecensis grauißimum ... ||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1592

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1687977488>

Druck Freier  Zugang





Cq - 1403



58.

FENEGORIA
IN
**LAVDEM PVERI IESV,
DOMINI ET REDEMTO-
ris nostri, ex Maria virgine castif-
sima nati;**
Scripta à
JOHANNE BUTHERO VVISMAR.

*Ad Amplissimum ac ornatissimum vi-
rum, Pietatis, Sapientiae, Prudentiae, &
virtutis laude, ex equo præstantem,
D. CASPARVM VVILDIVM,
Patricium et Senatorem inclytæ Reipub.
Lubecensis grauissimum; Dominum, nec
non mecœnatem ac Patronum suum,
omni obseruantiarum genere per-
petuò colendissi-*

mum.



ROSTOCHE

Typis Myliandrinis.

Anno cl 19 XCII.

Amplissimo & prudentissimo viro, Dn.
CASPARO VVILDIO,

inclytæ Reipub. Lubecensis Senatori
primario, Dn. Patrono & Mecenati
suo, debita obseruantia colendo.

Expectata dies anno vertente recurrit.
Quia Christus pura virgine natus habet
Illa noui nobis primordia denotat anni,
Christicolisq; pijs gaudia læta refert.
Dardani hac ueteres blando munuscula vultu,
Poma, nuces, tenero distribueret gregem.
At hac donatum mundo, dimisit ab arce
Ætherea, Natum, cœlicus ille parens.
Ergo lætentur pueri, juuenesq; senesq;
Et dent alternas accipiant q; preces.
Propter nos itenim cœlo descendit ab alto,
Humanosq; artus induit ipse λόγος.
Hoc igitur Christo quō sim pro munere gratus,
Inclusi metricis verbula pauca modis.
Que tibi pro Xenio Mecenas optimè mitto,
Tu placida capias fronte manūq; precor.
Splendidius fateor Xenium tua munera poscunt,
Quod studijs operam fersq; refersq; meis.
Mittere sed pretij Xenium maioris, amica
Fors fortuna parum, care Patrone vetat.
Accipe sed Xenium diuina mente profectum
Quod λόγος est, si pera missus ab arce patris.
Verus homo verusq; Deus, cum secula nondum
Fata forent, & cum secula facta forent.
Ille loco strenue puer esto CHRISTVS IESVS.
Quem precor ut felix fastus & annus eat.
Is tibi contribuat felicia tempora vita,
Et post hanc vitam regiam beatam polli.

Johannes Butcherus VVismiensis.

TENEΘAIION
PVERI IESV.



CHRISTE Dei fili pura de vir-
gine nate,
Verus homo, iam Natalis quo
tempora versu
Ipse tui recinam, ac digno quo car-
mine laudes
Musa tuas memoret, vero illustretq; nitore?
Obstupeo penitus tua cum mens dicere facta
Incipit, at tu me perfundas luce corusca:
Et, licet exsuperent sensus, aciemque sagacem
Humanæ mentis, summi hæc mysteria patris;
Quantum concedet tamen hæc tua gratia, tantum
Vox tribuet summæ mea maiestatis honori.
Te facilem mihi des in carmina carminis autor
Christe Dei fili, & navis tu vela gubernes.
Vnde tuas veò Christe ordiar optime laudes,
Aut quibus exornem tua nunc præsepia verbis:
Tu patris æterni verbum, tu filius idem,
Ex se quem genuit etim secula nulla fuerunt,
Hic sine principio Deus hic sine fine gubernat,
Sic etiam patri tu maiestate coævus,
Fine cates, & origine, primus & autor.
Ille Deus genitor siquidem te perpete ab æuo
Intuitus fese, genuit de lumine lumen.
Existunt per te quæcunq; creatæ videmus
Quicquid habet magni totius machina mundi.
Lumen es æterno pariter de lumine, lucem

A 2

Quod

Quod præbet toti mundo cunctisq; creatis.
In mundum veniens tenebris radiabat in altis,
Sed cœcæ lucem non agnouere tenebrae
In mundo; mundus sine quo non exstittit amplius,
Æternosq; patri cum sis manerasq; coætius,
Nasceris in mundo (mirum) de virginе pura,
Cui mare, cui tellus, cui paret & æthera cœli.
Quid magis arcanum, magis admirabile quidnam?
Quam cœli terræq; Deum, quem non capit orbis.
Immensus, carnis sic parua sede recludi?
Verus homo, verusq; Deus, nomenq; parentis
Summum habeas licet, ipse tamen de virginе nasci
Gaudes, ac fieri pro crimine victima nostro.
En, noua progenies cœlo dimitteris alto,
Fulgida monstrauis quam lumine stella corusco.
Regibus in terra Ssorum visa fabæis,
Salue blande puer, puer ô dulcissime salue,
Salue virginеi flos ventris odorifer, vnde
Spirat, odor suavis totiq; salutifer orbi.

At quæ cauſſa fuit, quod Christus ab æthere sum-
Descendens, voluit sibi fungere debile nostræ (mo
Carnis opus, summo cum par in honore parenti
Exstiterit, chorus angelicus quem semper adorat?
O nimium, nostros nimium miserare dolores!
Vnica cauſſa sumus tibi, cur delapsus ab arce
Aetherea, sis Christe Dei diuina propago.
Nam tua te bonitas & amor, pietasq; paterna,
Eduxere patris gremio, nostræq; salutis
Cauſſa, vitales puer es prognatus in auras,
Ut promissa salus cunctis, te dante, daretur,
Totius & mundi quò crimina morte piaces,
Crimina quæis iustum patris irritauimus iram.

Fas,

Fas etenim fuerat tanto pro crimine poenas
Soluaret ut mortalis homo, quia crima fecit:
Sed tu Christe Deo (sortem miseratus iniquam)
Patri, sufficiens λύτρον persoluis, & unus
Pro nobis morti te dedis, mortis onusque
In te derivas, qui criminis purus ab omni es,
Ut nos in cœli rursum statione locares.
Has propter causas venisti ē culmine cœli
Virginis ex utero mortalis corporis artus
Assumens, nostrasq; vices nostrasq; dolores
Perfess, in rigidæ crucis ara victima factus.
Non tibi nascenti ridebant tempore verno
Flores, quos pueri carpunt per amœna vireta,
Nec violæ suaves, quibus ornant florida scuta;
Sed glacialis hyemis canos hirsuta capillos.
Clausit humum, stabat nudataq; frondibus arbor.
Splendida neve domus magniq; palatia Regis,
Te Regem Regum magno exceperat paratus
Sed quæ tecta fuit vili casa stramine, tantum
Vrbis Ephratæ decus excipit, inscia turba
Tantarum rerum, puerum fastidit I E S V M.
Plumeus haud illic, sed acuta carice lectus
Est inter pecudes, laceris præsepiibus hærens.
Interea hæc chorus angelicus miratur, & edit
lubila, concelebratq; Deum de virginе natum.
Hinc etiam invisit terras supera arce relicta
Cœli, & lanigeræ pecudis custodibus ista
Divinæ Triadis mysteria cœlica narrat:
Christus ut in terram sit missus ab æthere summo
Servator mundi, & Davidis natus in urbe,
Aurea cum quo pax nobis sit nata superne,
Pax hominum sensus superans, ac summa voluptas.

A ;

Alitu-

Altum hæc ubi dicta dedit chorus incola cœli,
Astriferi repetit præcelsa palatia regni.
Pastores armenta sinunt errare, nouumq;
Cantu concelebrant Regem, puerumq; salutares;
Salue sancte puer, salue dulcissime IESV.
Tu nisi sumfisses mortalis corporis artus;
Nos phlegetontæ crudelis poena maneret
Vnde, nec stygij Plutonis carcere cœco
Exemti essemus, nec mors superata nefanda;
Reddita jam vero nobis est gratia per te,
Quæ veteris culpa fuerat deperdita Adami.

Ergo tibi grates verbis quibus inclyte Christe
Dicemus, cum natali sint maxima nobis
Commoda parta tuo, quæ mundus percipit amplius.
Laus tibi Nata Dei, quem virgo puer pera partu
Enixa est casto, casti decus usque pudoris.
Laus tibi summe pater, per quem demissus ab alto
Christus in has terras, nostræ spes una salutis;
Nec non spiritui laudis præconia sancto
Dentur, sanctificans qui corpus virginis alma,
Effecit massam sine labe & sanguine puram.

ALIVD.

SALUE sancta dies toto venerabilis ævo,
O semper felix, & veneranda dies.
Qua tandem veluti ruptis tu nubibus altis,
Descendis Regum Rex mihi facte Puer.
Et cœli linquis diuina palatia Christe,
Induis & carnem non maculate meam.
Conciperis sine peccato, idem pectore iusto,
Infans in Bethlehem nasceris ipse Deus.

Nasce-

Tempore quo cunctos aspera lædit hyems.
Ipsa parant nullam tibi diuersoria sedem,
Excipit ah Regem nec fera turba suum.
Es spretus cum matre tua, dignatur honore
Hospes, te nullo, Barbarus ille, Deum.
Barbarus ille ferox genit, quem Caucasus horrens,
In stabulo matrem fuisse habere locum.
Occupat (indignum) tornata cubilia diues,
Solis opum Dominus, non loca culta tenet.
Quid dicam partum? Matrem quis curat & audiit?
Quæde ministerio, senina mitis adest?
Quis te regalis natum Rex inclyte splendor
Excipit, aut tanto, digna trophæa, Duce.
Cur non vis toti max inclarescere mundo?
Quod nascaris Homo, filius ante Dei?
Cur non insoliti prodis miracula partus,
Ut videant Regem nascier atque Deum?
Cur non ætherea Gabrielem mittis ab arce,
Atque tuba cunctis significaris agris?
In stabulo latitas inter consortia Tauri,
Atque Asini, & si aliud bestia nomen habet.
Nemo te laudat, nemo tibi carmina premit,
Nulla est regalis pompa, nec ullus honor.
Angelicus tantum chorus & pia turba ministrans,
Nubibus è cœli, Gloria dulce canunt.
Te te etenim Regem soli, Dominumque fatentur,
Cuius ab aduentu, Gloria summa Deo est.
Pax quoque summa venit miseriis mortalibus æui,
Sola potest mentes, quæ sociare Deo.
Hi Regem agnouere suum, noruntque ministri,
Haudquaquam Rex hic Regna quod orbis amet.

Hinc

Hinc paupertatis Regem pastoribus agnus,
Et se pauperibus significare iuuat,
Sic à pauperibus quò paupertatis in orbe,
Inciperet nato concio sacra Deo.
His vult laudari Deus, horum thura requirit,
Nam contemta Deus, nulla superba, souet.
Sic igitur redit miseris noua vita salusq;
Reddit a nunc pax est, & rediuita salus.
Hunc ergo puerum latus complectere in vlnas,
Quem Saluatorem sancta Maria parit.
Hoc, quoq; nobiscum summo dignissima plausu
Fac celebres gratus gaudia tanta, die.
Est etenim iam festa dies venerabilis omni
Ævo, quo natus Rex Deitatis Homo.
Respice nos igitur patris ô venerabile VERBVM,
Possimus laudes ut celebrare tuas.
Postq; hanc militiam vitæ melioris amantes,
Nos recipe in patrias, & tua regna, domos.

T E A O Σ.







Hinc paupertatis Regem pectoribus agnis,
 Et se p.
 Sic à paup.
 Incipit
 His vult.
 Nam c.
 Sic igitur r.
 Reddi
 Hunc ergo
 Quem
 Hoc, quo
 Fac cel
 Est etenim
 Aeuo,
 Respice n.
 Possin
 Postq; har
 Nos re

gnisicare iuuat,
 paupertatis in orbe,
 cio sacra Deo.
 horum thura requirit,
 is, nulla superba, souer.
 noua vita salusq;
 st, & rediuiua salus.
 us complectere in vlnas,
 sancta Maria parit.
 summo dignissima plausu
 gaudia tanta, die.
 es venerabilis omni
 ex Deitatis Homo.
 is ô venerabile VERBUM,
 celebrare tuas.
 itae melioris amantes,
 s, & tua regna, domos.

A O Σ.

